



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia**

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam  
Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In  
Qvibvs Singvlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo  
Continentvr Et Explicantvr ...

**Tomás <de Jesus>**

**Coloniæ Agrippinæ, 1684**

Prologvs

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38601**

ad Missam audiendam non debere admitti infideles, Ethnicos, Judæos, Hæreticos, Excommunicatos, Interdictos, Schismaticos, Incestuosos, Simoniacos, Infames, *Cap. Cleros distinct.* 21. & alibi sæpè in jure Canonico habetur expressè. Possunt tamen hi omnes ad prædicationem verbi Dei audiendam cum ceteris admitti, si non sint denunciati, ut videntur juxta *Cap. Episcopus nullum de consecrat. distinct. prima. Cap. Judæi quorum, de consecrat. distinct. quarta* junctis gloss. quæ conciliant capitula quæ videntur contraria; de quo Navar. *Manu. cap. 25. num. 56. & cap. 27. num. 36.* ad quæritum dubium.

Est tamen inter Infideles, & Fideles excommunicatos, aut interdictos denunciatio specialis differentia: nam propter infideles advenientes non deseritur Missa jam incepta. Propter excommunicatum autem vel interdictum denunciatum adstantem, Missa cæpta est relinquenda, si ante initium facti Canonis, seu ante consecrationem accedat, donec talis exeat Ecclesiam, momentibus ceteris adstantibus. Quod si nollet exire, ejiciatur ab eis; sed si metuatur seditio & sanguinis effusio, Missa relinquatur à Sacerdote, omnesque abibunt.

## DE PROCURANDA CONVERSIONE OMNIUM GENTIUM LIBER VI.

De unione Schismaticorum omnium cum Ecclesia  
Catholica procuranda.

### P R O L O G V S.



Vemadmodum divinæ charitatis unio, quæ membra Ecclesiæ vivo suo capiti Christo coaptat & adstringit, DEO gratissima est: ita vehementer displicet membrorum divisio, quæ spiritum pacis & dilectionis extinguit. Quamobrem qui inter veros Ecclesiæ filios rem DEO acceptissimam facere cupiunt, in conversionem Schismaticorum, qui ab Ecclesiæ Romanæ corpore seipso diviserunt, serio incumbere debent; quod subjectis rationibus persuaderi videtur.

*Prima:* Negari planè non potest, quin Ecclesia Latina Græcæ, & alijs Orientis provincijs, ubi schisma grassatur, plurimum debeat, cum ab eis pretiosissima bona, antequam scinderetur, receperit. Floruerunt quippe ibi Patres sanctitate ac doctrina celeberrimi, quorum monumentis erudimur, & ad pietatem incendimur. Quis ergo non videat, dolendum esse, quod pars Ecclesiæ nobilium germinum productrix se à summorum Pontificum obedientia subtraxerit? eoque dolore unà cum gratitudinis stimulo ad schismaticorum reductionem non excitetur?

*Secunda:* Clarissima Concilia in Ecclesia Græca ac Orientali celebrata sunt; & profectò pios animos intimè mover divisio ejus partis, in qua unio tot sanctorum facta, & ad commune totius orbis bonum derivata fuit. Quocirca pro parte illa refarcienda JESU Christi famuli strenuè laborare debent.

*Tertia:* Ipsa gentis ruditas summa commiseratione digna est, præsertim si cum vitiorum colluvie jungatur. Et quidem eò amplius adjuvanda esset, quò salutis propinquior est, cum minus quàm infideles, à Christo recedat. Ordo enim divinæ charitatis exposcit, ut eò plus dilectionis impendatur, quò quis vobis conjunctior est.

*Quarta:* Notum est ex schismaticis aliquos hæcærate nostra misisse Legatos, qui summis Pontificibus obedientiæ obsequium redderent, pro his, qui Romam venire nequibant. Et licet postea ad vomitum redierint, fortasse non proflus tota defectionis causa in eorum fragilitatem refundenda est, cum probabile sit multos ex ipsis in Ecclesiæ obedientia fuisse perseveraturos, si ministros Latinos hæcæti fuissent.

Denique charitas ipsa validissimam rationem producit, ut quo quis DEO conjunctior est, eò fortius omnem divisionem à proximorum animis depellat. In ea verò missione, quæ ad Schismaticos instituitur (ut admixtos Schismaticos hæreticos præteream) pro charitate pugnatur, quodam scilicet prælij genere, quod veros Christi amicos decet: qui ferre non possunt Christi vestem discindi. Atque utinam Ecclesiæ Principes in adunando grege diviso plurimum auctoritatis & operæ, igne charitatis incensi, ponerent, ut fieret Christi vestis contexta per totum, & antiquæ sanctitatis forma rediret.

Schismaticorum autem reductionem in duo præcipua capita dividemus. Primum erit de Græcorum ac Ruthenorum procuranda salute. Deinde de Orientalibus omnibus juvandis, quorum maximus est numerus, Deo dante, dicemus.

LIBRI